

Bol. del Obispado de Bilbao, 1951

— 147 —

LA IGLESIA PARROQUIAL DE PORTUGALETE, ELEVADA
A BASILICA MENOR

PIUS PP. XII

AD PERPETUAM REB MEMORIAM

Quemadmodum Beatissima Virgo Maria, summum enixa Deum et hominum Mater, prædicatione per orbem circumfertur, neque id satis pro dignitate ac merito, ita cultiora Tempa, ejus nomine dedicata, præcipuo in honore non perperam habentur. Quorum numero curialis Aedes oppidi "Portugalete" vulgo nuncupati, et intra fines Flaviobrigensis diœceseos positi, recte accensetur, quæ insuper ob vetustatem, amplitudinem, artem et copiam probatur in vulgus. Neque lauta supellex ibi desiderari videtur neque sacerdotum alacre ministerium, ac piæ consociationes, jam pridem constitutæ læta utuntur prosperitate. Quibus permotus, dilectus filius vicarius œconomus Ecclesiae, quam diximus, submisso Nos rogavit ut eam Basilicæ Minoris honore augere dignaremur. Nos autem ad cœlorum Reginam amplius excolendam omne ingenium nostrum atque studium conferentes, votis hujusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctæ Romanæ Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacræ Rituum Congregationis Pro-Præfecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicæ potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam parœcialem Deo in honorem Beatæ Mariæ Virginis consecratam atque in oppido "Portugalete", intra fines Flaviobrigensis diœcesis, existantem, titulo ac dignitate BASILICÆ MINORIS afficimus et exornamus, omnibus adjectis juribus ac privilegiis, quæ Templis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Hæc edicimus, statuimus, decernentes præsentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite judicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Februarii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Dno. Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDE BRUGNOLA

Officium Regens

Pontificiis Diplomatibus expediendis

